Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

semper innouabitur. et arcus meus in ma
nu mea instaurabitur. Cunctis scientibus
liquet quod ad uetustatem uitam uicia
pertinent. uirtutes ad nouam. Hinc etenim
paulus dicit. Exuentes uos ueterem
hominem cum actibus suis. et induen
tes nouum. Hinc rursus ait.
Vetus homo noster simul cruci
fixus est. Hinc psalmista typo
humani generis loquens. inter
malignos spiritus deprehensus dixit. Inue
teraui inter omnes inimicos meos. A
feruore etenim mentis uel inter spiritales
inimicos. uel inter carnales quosque pro
ximos ipso aliquo modo uiuendi usu
inueterascimus. et assumpte nouita
tis speciem fuscamus. A qua tamen ue
tustate cotidie si studia circumspec
tionis inuigilent. orando. legendo. be
ne uiuendo renouamur. quia uitam nostram
dum lacrimis lauat. bonis operibus exer
cet. sanctis meditationibus tendit. ad no
uitatem suam sine cessatione reparatur.
Beatus igitur iob sic sua narrat ut nostra sig
nificet. quia sancta ecclesia cum fideles su
os conspicit ad uite ueteris culpas
redire. eos quos nouitatem mentis
intuetur perdere. cogitur plorare. Predica
tor quippe egregius discipulis dicit. Que
est nostra spes aut gaudium. aut co
rona glorie? Nonne uos ante deum?
Sancta igitur ecclesia quasi amissam gloriam
deplorat. cum fideles suos ad uitam
ueterem redire considerat. Dicit enim

gloria mea semper innouabitur. quia eos
quos in se noue uite militare credi
dit. uetustatis desideriis seruire cognos
cit. Arcus autem nomine in sacro eloquio
aliquando malorum insidie. aliquando dies
iudicii. aliquando eadem sacra eloquia
designantur. Per arcum quippe insidie fi
gurantur. sicut per psalmistam dicitur. In
tenderunt arcum rem amaram. Per ar
cum quoque dies extremi iudicii desig
natur. sicut per eundem rursum psal
mistam dicitur. Ostendisti populo tuo du
ra. potasti nos uino compunctionis.
dedisti metuentibus te significatio
nem. ut fugiant a facie arcus. In
arcu enim quanto longe trahitur
chorda. tanto de eo districtior
exit sagitta. Sic nimirum sic ex
tremi iudicii dies. quanto longe dif
fertur ut ueniat. tanto cum uene
rit de illo districtior sententia pro
cedit. Idcirco autem diuersis cladibus nunc
percutimur. ut his correcti, paratio
res tunc inueniri ualeamus. Vn
de illic premissum est. Ostendisti populo
tuo dura. flagella uidelicet seculi.
que secuturum grauius iudicii
diem precurrunt. Potasti nos uino
compunctionis. ut terrena gau
dia in lacrimas conuerterentur. De
disti metuentibus te significationem.
ut fugiant a facie arcus. ac si dice
ret. Hoc tempus nunc est. illud tempus
iudicii erit. Per ista igitur huius temporis